

Johann Georg Dorsche Georg Philipp Cöler


Disputatio Theologica De Peccato Originali

Argentinae: Simonis, 1635

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn818436662>

Druck Freier  Zugang





95

52^b.6.



Ja 1092 (95.)

Tomo hoc XLVII. continentur:

1. Dithemi Icarus Academicus Norimb 1643.
2. Acclamatione preceptiva Academiae Genesie cum eo
descenderet idem Ditherrus.
3. Orationes inaugurales Academiae Ludunensis Patavoru.
Anno. 1620.
4. Polyvardi. Walai.
5. Thysii.
6. Hommi.
7. Sinapij.
8. Ravi Panegyria Orientalibus linguis Trajecti ditta. 1643.
9. Hier. Welleri Consilium de studio Theol. Rostoch 1617.
10. Simile D. Joh. Quistorpii Rostoch. 1643.
11. Iusti Jone oratio de eodem argumento. ibid. 1644.
12. Dan. Heimfii. Homilia in Natalem Domini. Lugd. 1613.
13. —. In Christi Passionem. ibid. eod.
14. Quistorpii de Vinibus Liberi Arbitrii coll. loc. III, 4. s. 1645.
15. Samhauen Domini gloria crucifixus. 1633.
16. —. De Melchisedeco e Gen. XII. 1634.
17. Jacobus Martini de Causa Peccati. 1639.
18. —. Analysis Capituli Vad. Romanor. eodem.
19. Dorschauc De tribus testibus in Terra. 1. s. 1. s. 1635.
20. —. De Peccato originali. eod.
21. —. Synopsis Theol. Zachariana.
22. —. ad Hebr. XIII, 8. 1643.
23. —. ad Act. IV, 27. 28. 1646.

24. D. Mentzerus de Ecclesia. 1608.
 25. J. Hamerkenig de Persona Christi. 1645.
 26. D. Cothmannig de Predestinatione. Rostoch. 1692.
 27. ———. Pars II. ———
 28. Jo. Croig de Orthodoxa Fidei Delecta Amp. 1619.
 29. ———. Vano. per Europā Doctrina cum script. s. conformitas.
 30. ———. De Apostolici nominis causa.
 31. ———. De Apostolica Ecclesiarū Vrang. Doctrina.
 32. ———. De Catholicismo Eccl. Evangelicae.
 33. ———. De Antiquitate Relig. Evangelicae.
 34. Gocklenii Theses Apologeticae contra Finckium. 1606.
 35. ———. De Analogia seu proportione.
 36. Perzelius de S. Coena Stempforti 1602.
 37. Tossani Theses contra Evangelicos. ibid. 1605.
 38. Ravenspengeri Samson redivivus. ibid. 1619.
 39. Heyderi Ruae quæstionum Theol. Maynurgi. 1611.
 40. Eglami de Generaliōe Christi. ibid. 1608.
 41. ———. De Fide justificante. ibid. 1617.
 42. ———. De Peccato in Spiritum S. cod. 44 β. Croig de Pecc. de Baptismo.
 43. ———. De Predestinatione. ibid. 419. Doctrina
 44. ———. ~~Compendium~~ ~~de~~ ~~predestinatione~~ ~~et~~ ~~de~~ ~~peccato~~ ~~in~~ ~~spiritum~~ ~~s.~~
 45. Conradig Vorshy de Idolatria Pontificiorum in cultu Vrbani.
 46. ———. ~~Itie~~ Stempfort. 1608.
 47. ———. De Idolatria eorundē in cultu sanctorum.
 48. ———. ———. In cultu Imaginum Pontificiorum.

49. P. Petri Roeshii Soc. Jes. Disputatio Paradisiaca
50. Corradi Vossii Oratio Apologetica in
pleno Confessu Ordinum Hollandiae et Westphaliae
Gita. Hartmanni. 1612.
51. Ebelius de Generatione et Corruptione Hom.
Grosae. 1646.
52. — De Anima Hum. Simplicitate. 1644.
53. — Deinde IV. Conclusionum metaphysicarum. 1646.

1. 8.
2. 3.
3. 11.
4. 24.
5. 29.
6. 2.
7. 2.
8. 38.
9. 24.
10. 39.
11. 4.
12. 4.
13. 4.
14. 4.
15. 4.
16. 4.
17. 4.
18. 4.
19. 4.
20. 4.
21. 4.
22. 4.
23. 4.
24. 4.
25. 4.
26. 4.
27. 4.
28. 4.
29. 4.
30. 4.
31. 4.
32. 4.
33. 4.
34. 4.
35. 4.
36. 4.
37. 4.
38. 4.
39. 4.
40. 4.
41. 4.
42. 4.
43. 4.
44. 4.
45. 4.
46. 4.
47. 4.
48. 4.
49. 4.
50. 4.

a - a	A - D
16	A - C
35	A - C
30	A - C
A - C	A - C
20	65
40	A - C
A - B	48
-	A - C
A - B	16
35	A - C
B - 36	A - C
A - 00	A - C
A - C	A - C
A - 00	A - C
A - B	A - B
A - D	A - K
A - 00	51
40	24
128	24
72	20
A - 00	
A - D	
14	
16	
32	
A - G B	
A - C	
A - 00	
A - C	
A - C	
B - G 1	
A - D	

DISPUTATIO THEOLOGICA
De
PECCATO ORIGI-
NALI

Quam
Adjuvante Domini Spiritu

Sub Praesidio
DN. JOHANNIS GEORGII DORSCHER,
SS. THEOLOGIAE DOCTORIS, EJUSDEM-
QUE IN CELEBERRIMA ARGENTINEN-
sium Universitate Professoris publici,
& Ecclesiasticae


Pro ingenii modulo publicè defendendam
proponit

In Auditorio Majori

GEORGIUS PHILIPPUS CÖLER
Colmbergâ-Francus.



ARGENTINÆ,
Typis JOHANNIS GEORGII SIMONIS,
ANNO M DC XXXV.





Σὺν τῷ Θεῷ.

Disputatio Theologica

DE PECCATO ORIGINALI.

Πρόλογος.



Elebris & ipsâ veritatis trutinâ approbata est sententia, quam Bernhardus c. 65. meditationum hisce verbis est prolocutus: Memento, homo, quid fueris, quid sis, quid esse debueris, quid esse possis: quid fueris per naturam; quid modò sis per culpam; quid esse debueris per industriam; quid adhuc esse possis per gratiam.

Quâ sententiâ elegantissimè homini in memoriam non tantùm felicissimus ille integritatis, sed & infelicissimus protoplaston lapsus, ut & saluberrimum hujus lapsus remedium revocantur. Erat sanè ille integritatis status felicissimus: homo quippe ad imaginem Dei creatus extabat vivum sapientie, bonitatis, charitatis, justitie, sanctitatis, puritatis, immortalitatis & potentie divinae speculum: Ratio perfectè subdita erat DEO Conditori; Voluntas rationi; affectus & reliqua potentie voluntati; nullus aderat servilis metus, nulla tristitia, nulla superiorum & inferiorum animæ virium pugna; nullus nature languor, nullum conscientie vulnus, nulla corporis duritia; quas felicitatis & imaginis divinae εἰσοχὰς in nos quoq; filios suos hereditario jure Adamus transmissurus erat, si in viis Domini perstitisset, cùm eas non ut persona privata, sed ut origo & radix totius generis humani acceperit: Verùm, quia ex inobedientiâ

A 2

Man-

8.
3
11.
34
2
2
31
24
39
42
43
44
47
46

Mandatum de non vescendo fructu arboris vetite non servavit, periit Adam, & in illo perimus omnes Ambros. in cap. 15. Luca: adeo ut non tantum nunc nascamur cum Peccato Originali, id est, sine metu DEI, sine fiducia erga DEUM, & cum concupiscentia, ut loquitur Aug. Conf. Art. 2. idque non solum respectu deficientium actuum, sed etiam ratione carentie virium ad illos actus divinos edendos: quod contra sugillatores A. C. Bellarminum, & alios quos Andr. Fabricius collegit, probe notandum: sed quotidie adhuc maculemur innumeris peccatis Actualibus, ideo merito jam status noster infelicissimus, ut merito illud Virgilianum usurpare liceat:

——— Heu quantum Mutatus ab illo

Adamo scilicet; in statu integritatis prius positus homo, nunc peccatis contaminatus.

Quia autem hanc nature nostre pravitatem & horrendam deformitatem haereticorum plurimi, aut plane negare, aut extenuare, aut alio modo ^{ὁρθόδοξία} hujus articuli pervertere solent, ideo placuit nobis materiam hanc de Peccato Originali sub disputationis incudem revocare, & orthodoxiam nostram paucarum thesium involucris proponere: Cum vero juxta illam subtilitatis Philosophicae Aquilam omnis nostra in literarum studiis peregrinatio sine superna luce miserabilis quaedam sit erratio, ideo antequam ulterius provehamur, DEVM omnis boni inexhaustam scatiriginem submisere & devotè oramus, ut Spiritu suo bono corda & mentes nostras illuminare, & hisce nostris conatibus incrementa suppeditare non dedignetur.

T H E S I S I.



Uoniam de quacunque re, quae sub scientiam cadit, & de qua differere in animo habemus, prius τὸ εἶς inquirendum, & num illa in rerum natura, & in entium existentium numero reperitur, videndum, ideo & nos, antequam ad Peccati Originalis τὸ τί ἐστι veniamus, prius an sit probabimus, cum plurimi

plurimi inter Heterodoxos reperiuntur, qui vel apertè & expressis verbis, vel occultè & per hypotheses Originalis Peccati existentiam vel negare, vel labefactare conantur.

II. In horum numero primas quasi tenent Pelagiani, (sic dicti à Pelagio Britone, qui Monachus, & postea Episcopus Africanus factus, vixit sub Imperio Theodosii junioris, Anno Christi 414.) qui Magistri sui errores sequentes, statuerunt, parvulos à Parentibus nec trahere, nec habere Peccatum Originale, sed in hunc Mundum nasci absque omni Peccato, & ab omni peccaminosa & damnabili impuritate immunes: ita enim de eis scribit Aug. l. de hæres. c. 88. *Negant parvulos secundum Adam carnaliter natos contagium mortis antiquæ primâ nativitate contrahere, sic enim eos sine ullo peccati originalis vinculo asserunt nasci, ut prorsus non sit, quod eis oporteat secundâ nativitate dimitti, sed eos propterea baptisari, ut regeneratione admittantur ad regnum Dei, de bono in melius transferti, non istâ renovatione ab aliquo malo obligationis veteris absoluti.* Item in prolog. hypognost. contra Pelag. & Cœlestianos ait: *Adami, inquit, Peccatum nemini nocuit, nisi solum ipsi, & parvulos baptisatorum filios non trahere originale Peccatum.*

III. Huncce Pelagianorum errorem, quamvis Synodo Milevitana, Anno Christi 402; Synodo Carthaginensi sextâ, Anno 420. Palæstinâ, circa idem tempus, & Aruficanâ Anno 444. damnatum, nostro seculo iterum in Ecclesiâ pomæria postliminio quasi reducere conantur maligni quidam Spiritus, qui genio & ingenio suo magis, quàm Scripturæ Sacræ illi Dei verbo fidem habere in animum induxere.

IV. Horum è numero sunt Anabaptistæ, qui Peccatum Originale Augustini Commentum vocitare consueverunt, & infantes in N. T. sine peccato nasci & innocentes esse clamitant, solâ servitute Mortis exceptâ, quâ de causâ etiam pædobaptismum ex Ecclesiâ planè eliminatum volunt, de quibus videatur Sleidan. l. 10. & Wigandus in Anabaptismo. itemque Contr. Schlüsselburgius in Catal. hæret.

V. Utrisque & Pelagianis & Anabaptistis succenturiatam quasi operâ præstant Photiniani, qui Peccatū Originale fabulam Monachorū ex pravo Scripturæ Sacræ intellectu natam esse clamitant; Naturam enim hominis primâ non fuisse corruptam, propterea, quod unus actus non faciat habitum, nec habeat vim depravandi naturam: Ostor. in instit. Germ. c. 33. p. 27. Catech. Racov. p. 249. Proindè nullum planè esse Peccatum Originale, etiam impropriè loquendo, ut ait Socinus in prælect. c. 4.

VI. Non multùm ab his abludit Zinglius, dùm hæc in Epist.

A 3

ad

ad Urb. Rheg. producit verba: *Malum Originale propriè non est culpa, seu peccatum, quod reos faciat Infantes, quia peccatum propriè est, quod à Sciente & Volente contra Legem DEI committitur: Sed est morbus quidam seu Naturalis defectus, qualis est balbuties, & calculus hereditarius, quæ quia naturâ adsunt, non possunt in crimen vocari.* Item in Confess. Anno 1530. ad Carolum V. art. 4. *Velimus, nolimus, admittere cogimur Peccatum Originale, ut est in filiis Adæ, non propriè esse Peccatum, non enim facinus contra legem: Morbus itaque est propriè & conditio.*

VII. Calviniani hoc seculo, quamvis cum Zinglio non adeo expressè loquantur, hypothesi tamen suâ Peccatum Orig. extenuant, dum Infantes Christianorum fidelium ab utero sanctos esse clamitant, ipsosq; jure hereditario ab utero Materno in fœdere adoptionis contineri scribunt. Nec de extrinsecâ atq; Ecclesiasticâ aliquâ sanctitate, quæ jus ad rem dat, sed de internâ & Spirituali, quæ jus in re confert, loquuntur. Vide Calv. l. 4. instit. c. 15. sect. 22. Petrus Martyr in Epistol. ad Corinth. Beza in 2. resp. ad acta Colloq. Mompel. p. 102. De quo errore infra agemus fusiùs. Non sunt pratermittendi Arminiani, Arminius contra Perkinf. pag. 170. *Nulum est peccatum, quod simul malum culpa & malum pœna, seu pœna peccati & causa alterius peccati:* Joh. Arn. Corvinus contra Gomarum, p. 5. *Arminius non poterat intelligere, quomodo id, quod nobis ut pœna infligitur, propriè loquendo possit peccatum esse.* Contra Tilenum p. 388. *Verum est, quod Arminius dicit, perversè dici, Peccatum Originale reum facere mortis, cum peccatum hoc sit pœna peccati Actualis Adami, ex quibus verbis sequitur quod dicit, scilicet Arminium docere, Peccatum Originis non esse propriè dictum Peccatum.* Similia leges in Corv. contra Molinæum per totum Cap. 7. & 8. ubi in societatem erroris sui & Zanchium, Sibrandum Lubbertum, & alios adducit. In Confessione Arminianorum. Cap. 7. Peccatum Originale in solâ ablatione Justitiæ Originalis, & obligatione ad multiplicem miseriam ponunt.

VIII. Bellarminus, ut & alii Jesuitæ, quamvis alienissimi videri velint à Pelagianorum, Peccati Originalis existentiam negantium, paradoxo, reverà tamen, si ipsorum scripta pressius inspiciantur, hæresin hanc quasi ex orco revocare, & Pelagii manes iterùm resuscitare deprehendentur.

IX. Ita enim Bellarminus, qui totius sui Sodalitii os & oraculum est, l. I. de stat. pecc. c. I. ait: *Nihil habere propriè rationem peccati, nisi sit voluntarium, & fiat à sciente & volente.* Jam si subsumas, atqui pecca-

peccatum Originale respectu posterorum Adæ non est voluntarium, nec fit à sciente & volente, cum Infantes careant usu rationis. Statim sequetur conclusio E. Peccatum Originale non habet propriè rationem peccati.

X. Idem Bellarminus l. 5. de Grat. & Lib. Arbitr. c. 13. ait: *Naturalia post lapsum mansisse integra*, quod si hoc, E. Natura humana post lapsum non erit corrupta, & non erit Peccatum Originale. Aut sequetur, corruptionem ad inegritatem naturalium pertinere, quod est *σι-δινοξυλον*. Convinci etiam ex hoc possunt, quod statuunt per Baptismum ita Peccatum radicibus evelli & remitti, ut nihil amplius sit in renatis, quod verè habeat rationem peccati. Biel in 3. sent. dist. 27. Hæc hypothesi stante, statim inferri potest, quod si renato planè remittitur, tunc non amplius potest propagare in aliquam sui posteritatem.

XI. Positis hisce adversariorum stolculis, nos orthodoxam nostram sententiam subnectimus, idq; facimus verbis ex Aug. Conf. art. 2. delutis: Credimus, docemus & confitemur, quod post lapsum Adæ omnes homines secundum naturam propagati, nascantur cum peccato, i. e. sine metu DEI, sine fiducià ergà DEUM, & cum Concupiscentià.

XII. Hanc nostram sententiam porrò probatum ibimus: I. Divinis Scripturæ: quorum primum est Gen. 5. v. 3. *Adam genuit filium ad imaginem (non DEI, sed) suam, peccato nim. corruptam & depravatam*. Sicut enim Adamus factus fuit à Deo innocente & immortalis innocens & immortalis: Ita ipse peccator & mortalis factus, genuit peccatorem & mortalem, ut ait Hugo. Conferendus est locus I. Cor. 15. 48. 49. *qualis terrenus, tales terreni, qualis Cælestis, tales Cælestes: sicut portavimus imaginem terreni, portemus & Cælestis*: ex quo ita proceditur: Inter imaginem Christi & DEI non est oppositio: Inter imaginem Christi & Adami post lapsum h. l. est oppositio. Imago E. Adami post lapsum non est DEI. Porrò, in quo imago Adami DEI imagini πρώτος & ἀμέσως opponitur, illud est imaginis Adami formale. In peccato imago Adami imagini Christi & DEI opponitur, quæ consistit in summâ Justitiâ & Sanctitate. Peccatum E. est imaginis Adami formale. Rursus: Qui genitus est ad imaginem Adami genitus est in peccato. Seth genitus est ad imaginem Adami E. Seth genitus est in peccato. Ecce peccatum congenitum. Quo enim modo Adamus Sethum genuit, eo omnes homines Ordinariè geniti, in lucem progrediuntur.

XIII. Secundum dictum est Ps. 51. v. 7. *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me Mater mea*: ubi nemo putet parentum delicta hæc recensere Davidem, & de iis conqueri, cum sese ipsum

ipsum in hoc Psalmo peccatorem coram Deo sistat, & deprecetur non Parentum, sed propria delicta & peccata. Hinc Ambrosius in Apolog. David. cap. II. *Merito David flebiliter deploravit in se ipso inquinamentum a Natura, quod prius inciperet in homine macula, quam vita.*

XIV. Tertium dictum depromimus ex Joh. 3. v. 6. ubi Christus, qui est ipsa veritas Joh. 14. v. 6. ad Nicodemum ait: *Quod ex carne natum est, caro est*, corruptum nim. & naturam filius irae, ut ait Paulus Eph. 2. v. 3.

XV. Quartum dictum depromimus, ex propria sede hujus articuli. c. 5. ad Rom. & 1. hujus. v. 12. *In quo omnes homines peccaverunt.* Subsamo: *Parvuli sunt homines. E. Peccaverunt in Adamo, seu Peccatores constituti sunt, ut postea v. 19. Apostolus inquit. 2. v. 14. Regnavit Mors ab Adamo usque ad Moysen, in eos quoque, qui non peccaverunt ad similitudinem transgressionis Adam.* Argumentor. Ejusmodi peccatum per Adamum intravit in Mundum, quod omnibus est commune, & parvulis etiam affert Mortem. At peccatum Actuale non omnibus est commune, siquidem Infantes peccata actualia & προαιρετικά ob negatum rationis usum committere non possunt, vel non possunt peccare in similitudinem praevaricationis Adami. E. Præter peccata Actualia est aliquod peccatum, ipsam propagatione ab Adamo in universos transfusum, quod infantes etiam Mortis imperio submittit.

XVI. Pluræ testimonia peccati Originalis existentiam demonstrantia peti possunt ex Gen. 6. v. 5. Job. 14. v. 4. Esa. 48. v. 8. Ezech. 16. v. 4. Rom. 7. v. 23.

XVII. II. Rationibus ex Sacra Scriptura. I. Ex Rom. 6. v. 23. *Mors stipendium peccati est.* Infantes autem moriuntur etiam in utero adhuc. E. Habebunt Peccatum. Non Actuale. E. Originale. 2. Idem demonstratur ex παλιγγενεσίας necessitate, nisi enim infantes essent peccato polluti, non opus haberent generatione, quæ sit ἀνάθεμ Joh. 3. 3. & tamen ἐξ ὕδατος. v. 5. 3. Patet hoc etiam ex peccatis Actualibus, quæ à Peccato Originali, velut mali fructus ex mala radice, propullulant, de quibus conqueritur Paulus Rom. 7. 18. *Novi quod non habet in me, i. e. in carne mea bonum; Nam velle adest mihi, at ut faciam bonum, non reperio: & v. 20. Si quod non volo, hoc facio, non jam pepero illud, sed inhabitans in me peccatum. v. 22. Delectat me lex Dei secundum internum hominem, sed video aliam legem in membris meis, rebellantem legi mentis meæ, & captivum reddentem me legi Peccati, quæ est in membris meis.*

XVIII. III. Testimoniis Patrum. Orig. in Lev. hom. 12. *Omnis homo in Patre & Matre pollutus est: Solus vero Jesus Dominus meus in hac*

generatione mundus ingressus est. Ambros. in l. suprâ citato. Antequàm nascamur maculamur Contagio; antequàm usuram lucis, Originis ipsius excipimus injuriam, dum in iniquitate concipimur: Aug. in l. 2. hypognost. Homo peccator genuit sine dubio Peccatorem, quia de natura vitiatâ nascitur non nisi natura vitiatâ & peccatrix. Anshelm. de Concept. Virg. c. 22. Est Peccatum à naturâ, & est peccatum à personâ, quod est à personâ, potest dici personale, quod à naturâ, naturale, quod etiam Originale. Bernh. in med. c. 2. Parentes faciunt nos antè damnatos, quàm natos.

XIX. Demonstrato Peccati Originalis τὸ εἶναι, procedimus jam ad τὸ τί ἐστὶ ejusdem: & quamvis, ut Magnus ille Chemnitius tom. 1. loc. p. 553. ait: nulla definitione assequi possimus, quantum sit illud Malum Originale, per speculum tamen & in ænigmate, piâ & sedulâ meditatione illa aspicere debemus, quæ in Sacrà Scripturâ de pravitare Originali patefacta sunt.

XX. Peccatum E. Originale in S. Scripturâ nobis ita describitur, quodd non tantùm sit privatio & absentia Justitiæ Originalis, sed etiam vitiosa qualitas & extrema naturæ corruptio, cujus utriusque consequens est Reatus.

XXI. Sunt igitur tria, quæ ad descriptionem hujus vitii necessariò requiruntur.

XXII. Nam I. occurrit defectus, Privatio vel absentia Justitiæ Originalis, quæ primò homini ad imaginem DEI condito, in statu integritatis inerat. Erat enim homo, ut in proemio dictum, conditus ad imaginem DEI, & verâ sanctitate ac Justitiâ ornatus; in Mente n. habebat lucem agnitionis, solidamq; rerû omniû ad perfectionem & proportionem illius status innocentiae necessariorum scientiam & sapientiam: In voluntate ejus erat conformitas cum nutu & voluntate DEI: in corde ardor amoris erga DEUM, & in omnibus reliquis membris ac potentiis rectitudo, sanitas atque integritas jucundissima effulgebat. Coloss. 3. v. 10. Gen. 2. v. 19. 20. 23. 24. Eph. 4. 24. Gen. 1. 26. c. 2. 19. c. 3. v. 5. 7. &c.

XXIII. Per peccatum autem omnia hæc dona, nobilissima sanè, Adamus amisit, nec etiam solus pro dolor! sibi, sed & omnibus suis posteris (cùm ipsi non ut privatae personæ, sed ut humani generis stirpi & radici essent concredita) aded ut omnes homines jam polluti peccatis in hanc edantur lucem, & habeant pro luce agnitionis divinæ meras tenebras. Eph. 4. v. 18. Act. 17. v. 30. Esa. 9. v. 1. 2. Cor. 3. 5. pro conformitate cum voluntate divinâ meram aversionem à DEO. Rom. 8. v. 7. Eph. 2. v. 3. pro timore & dilectione divinâ in corde

B

horrea

horrendam affectuum contumaciam. Genes. 8. v. 21. Ezech. 36. v. 26. Matth. 15. v. 19. Imò in omnibus membris quoad Spiritualia horrendam ἀταξίαν & depravationem. Coloss. 3. v. 5.

XXIV. Undè spontè sequitur, quòd Malum hoc Originale, non solum σεσησεί imaginis divinæ definiendum, sed quòd. II. etiam requiratur ad ejus descriptionem θεοῖς contrariantium illi divino imaginis cælestis dono, quæ in locum ejus in homine successerunt. Undè cum S. Scripturâ in ejus descriptione ad habitus quoque vitiosos progredimur, i. e. non privativè modò, sed positivè etiam illud describentes.

XXV. Hæc enim affirmat, quòd non tantùm mens cœcitate & ignorantia laboret, sed quòd ipsum etiam φθόνημα σαρκὸς sit inimicitia adversùs DEUM. Rom. 8. v. 7. quòd voluntas pertinacitèr Deo repugnet. Jer. 17. v. 9. & quòd in omnibus animæ viribus non tantùm horrenda imaginis divinæ destructio, sed etiam fremitus, audacia, reluctatio adversùs DEUM adsint, teste Apostolo Rom. 7. v. 18. 19. c. 8. v. 5.

XXVI. Cùm verò DEUS in natura suâ Sanctissimus sit, imò ipsa Sanctitas. Esa. 6. 4. Apoc. 4. 8. & vehementissimè irascatur peccatis, Exod. 20. v. 5. Pl. 5. v. 5. Pl. 7. v. 13. & seqq: per se sequitur tertium, quòd ad Originalis peccati finitionem requisitum est, videlicet Reatus, ut omnes homines nascantur filii iræ, rei Mortis & damnationis. Eph. 2. v. 3. omnesque cogantur mori, etiam ii, qui non peccaverunt ad similitudinem prævaricationis Adami. Rom. 5. 14. Hic reatus velut utriusquetùm σεσησεί Divinæ imaginis, tàm θεοῖς imaginis Sathanicæ necessarium consequens, ad hujus mali plenam descriptionem omninò referendus est.

XXVII. Hæc est vera, orthodoxa & S. Scripturæ conformis de hoc malo Originali sententia, contrà quam plurimi reperiuntur, qui vel in Excessu, vel in Defectu errores spargere non dubitarunt.

XXVIII. In Excessu peccarunt olim Manichæi, & nostro seculo Flacius Illyricus, qui incomparabili eruditione aliàs & S. Scripturam & S. historiam magno Ecclesiæ bono illustravit, cum asseclis, qui Peccatum Originale cum ipsâ naturâ & substantiâ hominis confundunt, illudque humanæ naturæ accidens vitium, quanquam nulla finita humana vel angelica potentia mutabile & debile esse pertinacissimè inficiantur.

XXIX. Ita enim scribit Flacius part. 2. Clav. tract. 6. de pecc. Orig. p. 480. totus homo, quantus jam est, sive in substantiâ, sive in accidentibus, quatenus talis est, mera abominatio ac peccatum est. & pag. 482. hoc modo ait: Afferò & sentio, Peccatum Originale esse substantiam, quia anima rationalis, & præsertim ejus nobilissima substantialesq; potentia, nempe intel-

intellectus & voluntas, nunc sunt aded prorsus inversa, ut sint vera ac viva imago Sathanae.

XXX. Absurda hæc sententia reddi potest, contrarium ejus tam dictis S. Scripturæ, tum rationibus ex S. Scripturâ petitis demonstrando: 1. S. Scripturæ dicta sunt Rom. 7. 21. *Volenti facere bonum adjacet malum.* Ubi expressè Apostolus conqueritur de concupiscentiâ, alterâ Originalis Peccati parte, quæ ipsi adjacet volenti facere vel operari bonum; & Heb. 12. v. 1. vocatur ἀμαρτία ἐν πειρασμῷ: Item Rom. 7. v. 17. vocatur ἀμαρτία ἐνομήσα. Concipiuntur homines in peccato juxta effectum Pl. 51. v. 10. E. non ipsum sunt peccatum, Petit David, ut Deus peccatorum suorum obliviscatur, E. petit etiam ut sui obliviscatur, quod absurdum, cum potius contrarium petat, ut nempè Deus velit sui meminisse, Pl. 25. v. 7.

XXXI. 2. Rationes peti possunt I. Ex Articulo Creationis: Deus adhuc hodiè hominem format in utero Materno, teste Job c. 10. v. 8. Pl. 139. 13. Si igitur totus homo Peccatum esset, Deus esset author peccati, & produceret peccatum, quod tamen ipse odio plus quàm Vatiniano prosequitur: & à quo non potest esse malum, utpote qui naturâ suâ bonus, imò ipsa bonitas est.

XXXII. II. Ex articulo Incarnationis Filii Dei. Aut enim Filius Dei carnem nostram non assumpsit, contrâ manifesta S. Scripturæ dicta, Joh. 1. 14. Heb. 2. 14. 16. aut peccatum factus est, contrâ dicta Heb. 7. 26. c. 5. 16.

XXXIII. III. Ex articulo Redemptionis: Si Filius Dei naturam humanam, non nostræ ὁμοίωσιν, sed specie diversam assumpsit, utique nostram etiâ naturam non redemit. At verò non aliam, sed nostram, & quidem hanc ipsam, quam circumferimus naturam, quantumvis peccato corruptam, Christus redemit. E. Peccatum etiam Originis non potest esse aut dici nostra natura aut Essentia.

XXXIV. IV. Ex articulo Resurrectionis. Resuscitabitur aliquandò homo in extremo die, non tamen peccatum ipsum resuscitabitur: Particeps fiet homo æternæ salutis, non tamen ipsum peccatum vitam æternam ingredietur. Apoc. 21. v. 26.

XXXV. Quamvis E. S. Scriptura interdum in descriptione Peccati Originalis utatur verbis substantialibus, ut cum vocat Carnem, Corpus Peccati, veterem hominem, &c: Exindè tamen non sequitur ipsum hominem totum, quantum est, peccatum esse: Facit enim id S. Scriptura per Metonymiam, propter arctam & indissolubilem

B 2 morbi

morbi Originalis & naturæ conjunctionem : Scipfam interim S. Scriptura rectè declarat, dùm malum hoc vocat παρακείμενον καὶ ἐπιπέριστον. Deindè quia Peccatum Originale absque naturâ seorsim non peccat, cùm per se & seorsim non subsistat, sed substantia cordis humani, quatenus Orig. hac lue est fœdata, & quia non accusât Deus seorsim peccatum, sed naturam, ut peccatricem, idè etiam meritò verbis substantialibus Sacra Scriptura utitur.

XXXVI. In Defectu peccant. I. Pontificii; qui à Peccati Originalis labe excipiunt I. B. Virginem Mariam; & ut eò meliùs hoc possint palliare, confugiunt ad fictitia Sanctorum legenda, ubi narratur Mariam non ex congressu connubiali, sed ex osculo Joachimi, quod Conjugi Annæ fixerat, conceptam esse: Imò hanc doctrinam adeò tenent firmam, ut teste Salmerone, in Academia Moguntinâ, Parisiensi, Valentinâ & aliis, neminem ad Doctoratus in Theolog. gradum admittant, nisi priùs juramento promiserit, nunquàm se veritatem hanc de immaculatâ Mariæ Virginis Conceptione oppugnaturum. Vide Legat. Hispan. Anton. de Trejò Ep. Carthag. & Salazaris defensionem pro immaculat. Conc. B. V. II. Prophetam Jeremiam & Johannem, Corn. Muss. Bitont. Ep. Com. ad Rom. 5. p. 268. III. Franciscum, quem nativâ sanctimoniâ, vitæ innocentia, eximiis virtutibus, & plagarum vulneribus Christo fuisse similitimum dicunt. vide lib. de Conformit. Francisc. IV. Bonaventuram: de quo Alex. Alensis. (referente Trithemio descript. Eccles. fol. 87. fac. 2. repetit Anton. Possevinus in appar. sacro pag. 232.) dicere solebat: In fratre Bonaventurâ non videtur Adamus peccasse.

XXXVII. Verùm hæc opinio optimè refutari potest universalibus illis dictis Rom. 3. v. 23. Non est discrimen: Omnes peccarunt, & egent gloriâ Dei. v. 19. totus Mundus reus est Deo. c. 5. v. 18. Per unius delictum in omnes condemnatio Job. 14. v. 4. quis potest dare mundum de immundo? ne unum quidem.

XXXVIII. Obstat etiam huic sententiæ Pontificiorum Orthodoxa antiquitas: Ita enim ait Aug. de perf. Just. Quisquis esse vel fuisse in hac vitâ aliquem hominem, vel aliquos putat, excepto uno Mediatore Dei & hominum, quibus non fuisset necessaria peccatorum remissio contrarius est divinæ Scripturæ. Ambros. in Luc. l. 2. super c. 2. Solus per omnia ex nativâ de formâ Dominus Jesus terrænâ contagia corruptela immaculati partus novitate non sensit. Imò ipse Thomas in 2. q. 81. art. 3. Secundum fidem, ait, Catholicam firmiter tenendum, quòd omnes homines præter solum Christum ex Adamo derivati peccatum Originis ex Adamo contrahunt, alioqui non omnes egerent redemptione per Christum, quod est erroneum. Hisce

XXXIX. Hisce sic præfloratis rationes Pontificiorum fide-
neas paucis examinabimus: Et quod I. Mariam attinet, quam san-
ctam ab utero probant ex legendis Sanctorum, non est, quoddam id re-
spondeamus, cum ex illo libro suspectæ fidei aliquid allegare, sit id ipsum
refutare. Nos quidem & ipsi honorificè de Mariâ sentimus, & absit,
ut quidquam irreverentè de eâ dicamus; absit a, & hoc, ut honorem
soli DEI Filio debitum, quo præ omnibus ex sceminis natis præminet,
Mariæ, ut creaturæ tribuamus: Justam eam, ac beatam prædicamus,
sed non ob immaculatam suam in utero conceptionem, sed ob fidelem
conceptionem seu receptionem ejus, quem peperit in scrinio cordis.
Luc. I. v. 45. & II. v. 27. 28.

XL. II. Quoad Jeremiam & Johanné, illud probant ex Sancti-
ficatione utriusque in Utero Materno. Ier. I. v. 5. Luc. I. v. 15. 16. Ve-
rùm Jeremiæ illâ & Iohannis sanctificatione non peccati Originalis ne-
gatio, sed peculiaris saltém ad Ministerium sacrum segregatio & desti-
natio, adedque extraordinaria sanctificatio, non autem peccati Origini-
nalis eradicatio adstruitur.

XLI. III. Quoad Franciscum & Bonaventurâ, quamvis dicatur
illum nativâ sanctimonîâ Christo similimū fuisse, in hoc verò Adamum
non peccasse, eadem facilitate hæc rejiciuntur, quâ dicuntur, cum absq;
Sacrarum Scripturarum testimonio proferantur: & quamvis Adamus
in Bonaventurâ non peccâsit, ut dicit Scholasticus, optimè tamen & se-
cundùm S. Scripturæ ductum dici potest, fratrem Bonaventuram pec-
casse in Adamo. Rom. 5. v. 12. 13. 14. Plures sunt adhuc Pontificiorum
de Peccati Originalis definitione errores; Dum quidam definiunt Pecca-
tum Originis per solum Reatum, & obligationem ad pœnam mortis: quidam
à *Ælav* internâ ex indole materia, & constitutione natura seclusa à super-
naturali imaginis dono deducunt; Quidam ajunt, Peccatum Originis esse
minimum & minus minimo Veniali, quia in eo minima ratio voluntarii re-
peritur &c. quos repetit & refutat D. Eccardus Tom. I. Disp. Gillens. &
p. 393. usque ad p. 404. & post eum alii.

XLII. Qui in defectu peccant sunt II. Cingliani, qui asse-
runt fidelium liberis ex fœderis formulâ ab utero sanctos esse: Ita enim
Calv. I. 4. Inst. c. 16. sect. 22. *Infans hereditario jure secundum promissionis
formulam jam à Matris utero in fœdere continetur.* Beza. Vol. 2. fol. 256.
*Sanctorum liberis ex formulâ fœderis jam in ipso utero esse adoptatos arbi-
tratur.* Idem in part. 2. Resp. ad Colloq. Mompelg. p. 102. *Sancti ex
gratiâ gignunt ex eadem gratiâ Sanctos vi fœderis per fidem apprehensi.* &
p. 106. *facile estimârim Dei promissione fretus, infantes in Ecclesiâ natos &*

divinūs Electos, nascendo in ſeri Chriſto, P. Martyr. ſup. 17. Genef. ſcribit: Infantes ex fidelibus natos ante Baptiſmum ad Deum pertinere, eſi Patrem aut Matrem non habuerint Deo conjunctos, forte habuiſſe aliquos ex ſuis Majoribus, ideoq; eos eſſe membra Eccleſiæ, propterea Sanctos ex merâ Dei Miſericordiâ, licet veram in Chriſtum fidem non habeant. Idem in Com. 1. Corinth. 7. fol. 175. In peccato Originis duo expendenda, unum eſt vitium natura, quo carent poſteri Adami juſtitia & ignoratione atq; malis concupiſcentiis premuntur; Eſt deinde reatus, quo Deus hac ad peccatum & ad mortem imputat. Primam itaq; partem indubit atò omnes noſtri pueri habent, quando naſcuntur. Alteram autem partem, reatum inquam & imputationem ad mortem & ad æternam damnationem illi, qui non tantum ſecundum carnem ex piis naſcuntur parentibus, verum etiam ad electionem Dei & promiſionem pertinent, non habent. Et f. 174. Sancti ſunt liberi fidelium, non quod hoc generationi carnis, tanquàm præcipua veraq; cauſe attribuamus. Eſt enim prorsus ut noſtra, ita & liberorum noſtrorum ſalus ex merâ Dei Electione atq; Miſericordiâ, qua ſepè concurrit cum naturali propagatione, puta ut videm ſint à Deo electi, qui etiam naſcuntur ex Sanctis, &c.

XLIII. Hunc errorem ſequenti jugulamus Syllogiſmo: Cuiſcunq; ſententiæ. 1. Contradicit S. Scriptura. 2. Exempla in S. Scriptura. 3. Ex quâ multa abſurda proveniunt. 4. Cui orthodoxa antiquitas contradicit, Illa eſt abſurda. Atqui hæc Calvinianorum eſt talis. E.

XLIV. Minorem probamus. I. Ex S. Scripturæ dictis, quæ contradicunt huic ſententiæ Ioh. 3. v. 6. *Quicquid ex carne natum eſt, caro eſt*, i. e. Deo exoſum, & ad ingreſſum regni cœlorum minus accommodatum. 1. Cor. 15. v. 50. Rom. 5. v. 12. *per unum hominem intravit peccatum in Mundum, & per peccatum Mors, atq; ita in omnes homines Mors pertransiit, in quo omnes peccarunt.*

XLV. II. Exempla è S. Scripturâ deſumpta, quæ huic ſententiæ adverſantur, peti poſſunt 1. Ex Adamo, qui quamvis per Spiritum Sanctum jam renatus & renovatus eſſet, nihilominus tamen filium generat ſecundum ſuam Imaginem peccato corruptam. Genef. 5. v. 3. 2. David natus erat ex circumciſis & piis parentibus, interim tamen fateatur, ſe in peccato conceptum & natum eſſe. Pf. 53. v. 6. 3. Paulus diſertè de ſe & aliis renatis pronunciat, ſe fuiſſe naturâ filios iræ. Eph. 2. v. 3.

XLVI. III. Abſurda ex hac ſententiâ veniunt aliquàm multa: Nam. 1. ſi fidelium liberi ſancti ſunt, non egent regeneratione per Baptiſmum, & ſic adſtruitur dogma Anabaptiſticum, pædobaptiſmum negan-

gantium, contra expressam S. Scripturæ literam. Ioh. 3. v. 6. 2. Eadem opinio adstruit vanam opinionem Iudæorum, se sanctos Dei filios esse gloriantium. Ioh. 8. v. 43. propter carnalem originem à Sancto Abrahamo, refutatum ab Apostolo Rom. 9. 3. Eadem sententia statuit, illos, qui fide non sunt præditi, tamen esse Sanctos, cum tamen qui fide præditi non sint, neque sancti sint, neque Filii Dei. Act. 26. v. 18. Ioh. 1. v. 12. Gal. 3. v. 26. 4. Favet hoc paradoxon absoluto Calvinianorum Prædestinationis decreto, è quo etiam originem suam traxit.

XLVII. Testimonia Patrum, huic dogmati contradicentium plurima sunt, nobis unum itemque alterum sufficiat. Aug. l. 3. de pecc. merit. & remiss. c. 9. *Quid respondebitis, inquit, quare de Christianis non Christianus nascatur, nisi quia non facit generatio, sed regeneratio Christianos.* Et tritum est illud Tertull. in Apolog. c. 17. *Fiunt, non nascuntur Christiani: cum Parentes nõ generent qua Sancti & fideles, sed qua homines, non qua regenerati, sed undè generati sunt,* ut iterum Aug. serm. 14. de Verb. Apostoli loquitur: Fulbertus pulcherrimè loquitur: *Scimus & verè scimus, nos primà nativitate pollutos, secundà nativitate mundatos: primà nativitate captivos: secundà nativitate liberos: primà nativitate terrenos: secundà nativitate celestes: primà nativitate vitio carnales: secundà nativitate beneficio Spirituales: per illam filios iræ; per istam filios gratiæ.*

XLVIII. Nec elabuntur adversarii, quando allegant dicta Genes. 17. v. 7. *Ero Deus seminis tui.* I. Cor. 7. 14. *filii vestri sunt sancti.* Nam, I. dictum Gen. 17. v. 7. est promissio, quæ requirit applicationem, cujus applicationis medium erat ipsum Sacramentum circumcisionis. v. 9. *Tu autem pactum meum servabis* addit Iehova. 2. Si ita liceret ex hoc dicto argumentari, sequeretur, omnes Esavi posteros, quæ tamen impii maximam partem fuere, Deo propter promissionem hanc placuisse, cum tamen absque fide impossibile sit Deo placere. Heb. 11.

XLIX. Alterum dictum I. Cor. 7. v. 14. non loquitur de sanctitate aliquâ interiori & Spirituali, sed de Ecclesiasticâ sive Legali, quæ liberi ex alterutro saltè parente Christiano nati dicuntur sancti, i. e. mundi, in Ecclesia nati, & aditum habentes imediatè ad Ecclesiæ bona, & sic etià ad Baptismum, tanquam ad Sacramentum initiationis. Undè Tertull. ait: *Sancti sunt, i. e. Sanctitati destinati:* Hieronym. *Christiana fidei candidati sunt, ac in privilegio consequenda sanctitatis constituti.*


L. Notandum sub finem, quod Martyr. Comm. in I. Cor. p. 174. inquit: *Non ita necessario semper evenit, ut sancti ex sanctis nascantur, quia promissio non est generalis de omni semine, sed tantum de illo, in quo una con-*
sen-


sentit Electio. Alioquin posteritas Ismaelis & Esavi fuerunt ex Abrahamo: sed quia nos de arcanâ Dei providentiâ & Electione minimè debemus curiosius inquirere, idè sanctorum filios sanctos iudicamus, quoad ipsi per atatem se non declaraverint à Christo alienos. Non excludimus ipsos ab Ecclesiâ, sed ut ejus partes amplectimur, benè sperantes, quod ut sunt secundùm carnem semen sanctorum, ita etiam sint Electionis divinæ participes. Atque hoc nomine illos etiam baptisamus. hæc ille. Ubi 1. subvertit consolationem Apostolicam. Fidelis non debet scrupulum in conscientiâ fovere, quod cohabitaret infideli, & ex illo maledictos liberos gignat. Quia etiam tales liberi sancti sunt, non maledicti. Si cum Petro Martyre statuas, talis erit consolatio. Tranquilla conscientia fidelis ex conjugio cum infideli liberos procreare potest: quia interdum concurrit cum propagatione liberorum electio eorum, interdum a. fit, ut sint absolutè reprobi, & quidem sæpius: quia iudicio charitatis putamus liberos esse participes fœderis divini, quod non semper est veritatis, quia benè speramus. Conscientia hæc vana solatia audiens, statim excipit: E. in perpetuâ anxietate hæreo, an liberos absolutè Electos, an verò absolutè reprobos procreem: An rectè & verè iudicem, an spes me non fallat. 2. Fundamentum Baptismi lubricum est planè. Rectius Andreas Rivetus aliàs Calvini sequax, in Cathol. Orthodoxo Tom. 2. tract. 3. q. 3. p. 38. Quoniam filii Dei, non solum seipfos, sed posteros quoque suos respiciunt, Apostolus prævenit objectionem, quæ contrà infantes (ex conjugio cum infideli ortos) fieri poterat, nimirum quod polluti ac profani, i. e. extrà Dei fœdus constituti haberi possint: nunc a. inquit, sancti sunt, non sanctitate quadam naturali vel inharrente, quæ iis à fideli conjuge eodem modo quo peccatum Originale communicetur, sed sanctitate externâ, ex misericordiâ Dei, eos pro suis reputantis, juxtâ promissionem nobis nostrisque infantibus in fœdere comprehensis factam, juxtâ quam si fieri possit, eos baptisandos offerimus, ut remissionem peccatorum & regenerationem consequantur; si a. Mors eos, vel natos, vel nondum natos præveniat, credimus, quod Deus eos etiâ ex gratiâ suâ regenerante ac justificante præveniat, ut olim Judæorum Infantibus antè octavum diem obeuntibus; qui tamen s. 9. lubricè seipsum evertit: Sed nolumus hæc latius exequi. Finimus itaq; hanc Materiam.


Quod superest DEUM Ter Optimum Maximum supplicis gemitibus & suspiriis oramus, ut nos in veritate suâ sanctificare, Ioh. 17. v. 17. & ab omni *ερεσδοξίας* malo potentèr defendere, tandemque fidei veræ firmitatem æternam videlicet Salutem largiri ex gratiâ non dedignetur.


Μὲν τῆ Θεῶ δόξα.


F I N I S.














5
IV.

ca genus non est ars nec prudentia.

ut prolixi sumus, nulla flagitat nece sitas: unico igr
ur: quicumq; habitus philosophicus non est practi-
ca vitia & virtutes, circa contingentia, circa ea quæ
adunt, illius quoq; genus esse nequit. Atqui Meta-
phis habitus Erg. genus ejus prudentia esse nequit.
t prudentiæ propria indoles, uti minore[m] ipsius
a, quæ est mera theoretica seu speculativa. De arte
dam movere ausi sunt, quibus opponimus hanc ar-
ti non competit definitio artis, illius genus ars esse
ysicæ non competit definitio Artis. Erg. Major
tio generis competit speciei generi subjectæ, quia
eò est corpus animatum sensu præditum. Minor
one artis. Ars, inqt. Philosophus 6. Ethic. est habi-
ffctivus: hoc a. de Metaphysica nemo sanæ men-
theor. transe. disp. 1. th. 28. p. 10. quia habitus pra-
yfica, quomodo ars erit? Cum omnis ars sit habi-
es habitus practici: Forlan species alicui compe-
genus illius speciei? quod ego non crediderim,
omo sit & non animal. Hac ille. Artem contem-
m Mart. part Metaph. l. 1. q. 2. f. 1. & Scharf. theor.
p. 20. proclamamus σιδυρόζυλον. Nec juvat eum
io, quam ex Luciano suo accurato illo definitor
quæ quam perfecta & accurata sit, videatur Exc.
b. 1. art. 3. f. 3. p. 10. Scheibl. Met. l. 1. c. 1. art. 2. n.
p. 7. l. 1. quest. 1. & alii.

V.

ca genus non est intelligentia.

usio non aded sit apud Dd. Metaph. controver-
a brevis ero: sicuti a. de scientia strictè ita dicta
lided non possit esse genus Metaphysicæ, quia
siones: ita nunc de intellectu dicimus, quod hic
æ constituere nequeat, quia præcisè Principia
mentum. Qui habitus in nudis acquiescit Prin-
a. esse nequit. Ast intelligentia talis est. Erg. Ma-
A 3 jor